

Ἄτολὰ ad ipsum scripta vocatur ἄριστος τῆς φύσεως καὶ τῷ κόσμῳ  
ἑρμηνεύτης, præstantissimus naturæ & mundi interpres. Sic Phi-  
lo Judæus Persarum Magos describit, οἱ τὰ φύσεως ἔργα διερευ-  
νώμενοι πρὸς ἐπιγνώσιν ἀληθείας, καὶ ἡσυχίαν τῆς θείας αἰετῆς  
τρανωτέραν ἐμφάσειν ἱεροφαντῶνται ἅ τε καὶ ἱεροφαντῶσι, qui  
naturæ opera scrutati veritatis cognoscendæ studio per otium  
divinas virtutes clarioribus & expressioribus rationibus do-  
centur & docent. Et *Porta l. 1. M. N. c. 2.* Si quid nobilius aut  
miraculo proximius in naturalibus scientiis aut fingi aut ex-  
cogitari potest, id reconditoris literaturæ viri scientissimi  
Magiam dixerunt.

§. 2. Constat autem definitio Magiæ *Genere & Differentiâ.*  
*Genus* est *Habitus*. Magis enim accommodum & adæquatum  
vix haberi potest. Intelligimus autem hic habitum non sim-  
plicem, sed compositum, qualis sapientia est, qualis Philoso-  
phia, theoriâ & praxi constans. Non enim existimandum,  
theoriam & praxin ita opposita esse, ut non possint in unum  
habitum coalescere. Diversa sunt, non opposita. Potest unum  
idemq; ingenium Theoreticum & Practicum esse. Opposita  
non possunt in eodem esse subjecto, cum pugnantis sint natu-  
ræ. Applicare huc possumus, quod *B. D. Martini in Exerat. Me-  
taph. p. 8.* de Philosophiæ definitione scribit, Multi, inquit,  
Philosophiam scientiam finiunt, multi disciplinam, multi do-  
ctrinam esse contendunt: per doctrinam, actionem à docente  
proficiscentem; per disciplinam, actionem in discente acce-  
ptam: per scientiam vel certam firmamque rerum divinarum  
humanarumque, vel etiam qualemcunque intelligentes cogni-  
tionem: ἀκριβῶς tamen loquendo, uti decet in definitioni-  
bus, nullam istorum verum genus Philosophiæ exprimit. Non  
enim Philosophia tantum scientia est, nec etiam qualicunque  
omnium rerum cognitione contenta, neque tandem pro es-  
sentiali cognoscit, quod vel doceatur vel discatur. His itaque  
ut ἀλλοτρίοις rejectis, οἰκείον & proprium genus dicimus esse  
habitum. *Tandem p. 10.* Rectè putamus differentiam specifi-  
cam constitutam esse, nempe quod Philosophia sit velut com-  
positum quid ex sapientiâ & prudentiâ. Unde patescit, non